



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De patientia regum. xl.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Nō innititur propriis viribus, nec à domino recedet cor eius. Regni fastigium, humili præsidet animo. Non eum delectat iniquitas, non inflamat cupiditas: sine defraudatione alicuius ex paupere diuites facit, & quod iuxta potestatem à populis extorquere poterat, sæpe misericordie clementia donat. Dedit Deus principibus præsulatum pro regimine populorum: & illis eos præesse voluit, cum quibus vna est eis nascendi, moriendique conditio. Prodeit ergo debet populis principatus, non nocere, nec dominando præmere, sed condescendendo consulere: vt verè sit vtile hoc potestatis insigne, & donum Dei pro tuitione vtriusque membrorum Christi. Membra enim Christi, fideles sunt populi: quos dum ea potestate quam accipiunt, optime regunt, bonam vtiq; vicissitudinem Deo largitori restitunt. Bonus rex facilius ad iustitiam à delicto regreditur, quàm de iustitia ad delictum transfertur: Vt noueris hoc esse casum, illud proposuimus. In proposito eius esse debet, nunquam egredi à veritate; quod si casu titubare contigerit, mox resurgere.

De patientia regum. Cap. XL.

Ex dictis
eiusdem.

Plerunque princeps iustus, etiam malorum errores dissimulare nouit. Non quod iniquitati eorum consentiat, sed quod aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia, vel emendare valeat, vel punire. Multi aduersus principes conjugationis crimine deteguntur, sed probare volens Deus clementiam principum, illos malè cogitare permittit, istos non deserit. De illorum malo, bene istis facit: dum culpas quas illi agunt, isti mira patientia indiget. Reddere malum pro malo, vicissitudo est iustitiæ. Sed qui clementiam addit iustitiæ, nō malum pro malo culpatis reddit, sed bonum pro malo offensis impertit.

De delictis regum, seu exemplis. Cap. XLII.

Ex dictis
eiusdem.

Difficile est principem regredi ad melius, si vitiis fuerit implicatus. Populi enim peccantes, iudicem merentur. Reges autem, nisi solo Dei timore, metuq; gehennæ coercerentur, liberi in præceptis prouent, & per abruptam licentiæ, in omne facinus vitiorum labuntur. Quātō quilibet in superiori constitutus est loco, tantō in maiori cōuersa-